



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Epistola Ioannis Abbatis Raychv, Ad Ioannem Abbatem montis Synai,
cognominatum Climacum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

14

EPISTOLA IOANNIS AB-
Batis Raychu, ad Ioan-
nem Abbatem montis Synai,
cognominatum Cli-
macum.

Dent, 3.

Domino singulariter mirabili, aequali Angelis,
patri patrum, & doctōri eximio, Ioanni Ab-
bati montis Synai, Ioannes peccator, Abbas Raychu
in Domino salutem. Agnoscentes nos à perfectione
longius remoti, tuam discussionis gnaram singula-
remq; ac virtutibus ceteris ornatam obedientiam,
in ea præsertim parte, in qua te cū talēto tibi à Deo
radito lucrari conuenit, huiusmodi supplicatione
vtimur, Prophetici illius dicti memores: Interrogā
patrem tuum, & annuntiabit tibi: seniores tuos: et
dicent tibi. Quocirca tibi, velut communi omnium
patri, cunctisq; in exercitationis lucta seniori, men-
tisq; acumine ac virtutibus omnibus & perfectione
doctrinae prædito, per nostras literas procidimus, vir-
tutumq; tuarum culmen exoramus, vt nobis impe-
peritis ac rudibus ea præscribas, qua in diuina specu-
latione, sicuti ille olim Moyses, in hoc ipso monte vi-
disti, ac veluti tabulas quasdam diuinitus scriptas
librum ad nos à te dimittas, atq; in doctrinam nouo
Israeli proponas eis, scilicet, qui perfectè atq; inte-
grè de spiritali Aegypto atque vitæ huius mari ex-
ierunt. Sicut igitur deiloqua lingua instar virgæ
fretus mirabilia in mari gessisti, ita nunc quoq; exo-
ratus

VITA IOANNIS CLIMACI. 15

ratus, ne declines monastica perfectioni congruentia. ut es reuera summus magister, impigre summaque cum moderacione describere in salutem & consolationem omnium, qui sanctam hanc atque Evangelicam conuersationem elegere. Neque assentandi gratia istud a nobis dici arbitreris. Nosti quippe o sanctum caput, istiusmodi adulationes alienissimas esse a proposito atq; instituto nostro. Sed illud nos dicere existima, quod certissime omnes & vident, & intelligunt & dicunt. Idcirco confidimus in Domino cito suscipere atq; complecti, quod speramus insculptos tabulis venerandos apices, quibus hi veraciter ducantur, qui sine errore sequi eos cupiunt ac veluti quandam scalam vsq; ad cali ianuas erecta, eosq; qui cupiunt ascendere innocuos illesosq; perducentem transcendentem liberè, & absque villo impedimento spiritalia nequitia & mundi, rectores tenebrarum, & principes aeris. Nempè enim, si Iacob Gen. 28. ille pastor ouium cum esset, adeo terribilem scalam in visione cospexit. multo profecto magis rationabilium pecorum magister non visione solum, sed veritate quoq; ascensum ad Deum tutum: & errore omni liberum ostendet. Vale
in Domino charissime ac
nimium venerande
pater.

IOAN.